ris eum jure posse offendere, spongiâ deleas, & deinde obsignatam ipsi reddere ne graveris, rogo. Vale, Vir amicissime, & te una cum Domina Conjuge tua suavissima quotquot sumus quam officiosissimè salvere jubemus. Vltrajecti IX. Kalend. Jan. cIↄ Iↄ CXLVI.

Viro Clarißimo,

D. LAMBERTO GORIS

S. P. D.

ANNA MARIA A SCHURMAN.

PErjucundæ mihi fuerũt literæ tuæ, Vir Amplissime, ex quibus insignem tuam erga nos benevolentiam facile perspexi. Huic enim debeo, quod mei tam diuturnam tamque singularem, quam ego sane à meis meritis sperare minime potuissem, retinueris memoriam. Utique ab omnibus Themidis vestræ sacris aliena forem, si doctrinæ ac virtutum lau-

laudes, (quas tu quidem mihi tribuis, verum conſcientia mea non agnoſcit) meo quaſi jure vel poſtularem, vel admitterem. Quid enim aliud juſtitia, quàm (ut Philoſophi verbis utar) ἀρετὴ ψυχῆς διανεμητικὴ τ̃ κατ' ἀξίαν? Quod autem Vir Reverendus D. Smith prò inſigni ſuo in nos affectu, tam præclara tibi de meis ſtudiis non ſolum confirmavit, ſed etiam perſuaſit, non adeo miramur; ſiquidem te facile adducere paſſus es, ut crederes non eſſe illud literarum faſtigium inacceſſum alienæ virtuti, quo te tua jam pridem feliciter evexit. Quantum vero tu in hoc genere excellas, ſatis oſtendit tua, quam ad me nuper miſiſti, doctiſſima Commentatio: quo nomine cum ob animi tui in nos propenſitatem, tum ob ipſius muneris præſtantiam me tibi plurimum devinctam eſſe profiteor. Vale Vir humaniſſime; & amiciſſimam D. Conjugi tuæ ſalutem ex me annuncies, rogo. Ultrajecti. v. Kal. Febr. cIↄ Iↄ c XLVI.

Viro